

nam sibi unitam, non autem ad suam naturam divinam pertinentem, consequens est quod unio sit facta in Verbi Persona, non in natura. Hæc est tota vis consequentia.

XXVII. Ubi adverte Nestorium posuisse unionem in persona secundum quamdam denominationem moralem, scilicet quantum ad quamdam dignitatem; non autem secundum unionem physicam, et realem, quam D. Thomas probat in illa consequentia: Si non unitur in persona, nullo modo unitur, id est, nullo modo reali, et physico. Et ita S. Cyrillus in Concilio Ephesino tom. v, can. 1, anathemate III: « Si quis post naturarum unionem dixerit ea tantum copula connecti, quæ est secundum dignitatem, vel auctoritatem, non autem ea communicatione, quæ sit secundum physicam unionem, anathema sit. » Opposuerunt autem Cyrillo orientales Nestoriani in eodem Concilio, ut habetur in appendice IV, tom. v, cap. 1, circa tertium anathema illud verbum physicam, seu naturalem unionem, male ab ipso esse dictam: « Quis, inquiunt, unquam ostendet naturalem divinam unionem, sacramenti dispositiones, si enim naturalis unio, verbi gratia, ubi divinum sacramentum? Naturæ enim, ut edocti sumus semel ab ordinante Deo ordinatæ necessariis consequentiis serviunt. Num etiam, et iterum erit secundum revolutionem, et materiæ contrariam, dispositionis opus, etc. » Ecce quomodo Nestorianis scandalizabantur in doctrina catholica Cyrilli, quia nomine physicæ unionis, uteretur; existimantes ly physicum, dicere quid naturale, et opponi gratiæ, ac necessitatem secum importare, ibi necessariis consequentiis serviunt.

XXVIII. Respondet autem Cyrillus: « Si naturalem unionem dixe-

rimus habet Scriptura hunc morem, hac distinctione uti: Eramus natura filii iræ sicut et cæteri, et neququam dixerit quisquam subsistere secundum naturam divinam iram. Unde ibi natura idem est quod vere. » Ecce quomodo Cyrillus ipso approbante Concilio usus est hac voce physica, seu naturali unionem, quia idem sit quod vera. Ac proinde non miremur quando in auxiliis divinis physicam, seu naturalem dicimus prædeterminationem, vocem illam ab antiquo usurpatam esse in Ecclesia, ut sit idem ac vera, seu realis, nec importare naturalem, id est, necessariam connexionem, et determinationem. Nec miremur si dicendo physicam, nobis opponunt adimere libertatem, et necessitatem inducere, hæc enim eadem voce opponebant orientales Nestoriani Cyrillo.

XXIX. Hoc ergo, supposito circa consequentiam S. Thomæ, objicitur non esse formalem, quia non sequitur si aliquid unitur Deo, et non in natura, ergo unitur in persona; possit enim uniri in hoc Deo tribus Personis communi, in quo invenitur subsistentia absoluta, et communis omnibus tribus Personis: ergo non probat S. Thomas, formali consequentia unionem factam esse in Persona.

XXX. Ad hanc instantiam respondetur admittendo dari subsistentiam absolutam communem omnibus tribus Personis, quia divina natura illis communis est, non solum divinitas ut quo, sed ut quod, seu concretum habens divinitatem, et habens esse; si quidem est ipsum esse perfectum, et integrum, neque inexistens alteri, neque ab altero tamquam a toto dependens, sed in se existens, et consequenter subsistens antecederet ad relationes. Quod tamen non invenimus in spiratore, quia ly spirator, duo importat; alterum pertinens ad essentiam, seu

virtutem spirandi; et hæc est subsistens sicut esse Dei: alterum notionale, scilicet ipsa relatio spirationis activæ, quæ relative opponitur Spiritui sancto; et hæc relatio in ratione relationis non est subsistens, nisi in paternitate, et filiatione. Si enim per se, et antecederet ad illas esset subsistens ut relatio deberet esse illis opposita, et distincta ab ipsis, quia in relationibus, ut relationes sunt, subsistentia importat oppositionem, et incommunicabilitatem; nam quantum ad esse relatio non habet aliud esse ab essentia; et consequenter propria ratio subsistentiæ in relationibus est ab incommunicabilitate; et cum ly spirator, non habeat illum respectum Patris, et Filii, non est subsistens per se seorsum ab illis, quod tamen habet deitas, seu esse divinum antecederet ad relationes. De quo late II tom. I parte, in materia de Trinitate.

XXXI. Admittendo ergo hoc, dicimus consequentiam S. Thomæ, dupliciter esse formalem. Uno modo, loquendo de unionem naturæ humanæ ad Deum quomodocumque, et sic non probat immediate factam esse in tali persona, vel in persona relativa, sed in subsistente Deo, quicumque ille sit, sive absolute, sive relative; sive sit persona, sive non: et sic idem est inferre, non est unita in natura, ergo in persona; ac dicere ergo in subsistentia, seu in habente deitatem.

XXXII. Alio modo potest intelligi consequentia S. Thomæ, de unionem naturæ humanæ ad Deum personaliter, et prout de facto fuit; et sic D. Thomas non fecit hanc consequentiam: Unitur natura humana Deo, et non in natura; ergo in persona: hoc enim non invenitur scriptum in D. Thoma, sed dixit sic: Si natura humana Verbo Dei non unitur in persona, nullo modo

ei unitur, et sic perit fides incarnationis; quia ergo Verbum habet naturam humanam, et non in natura divina unitam; ergo in persona Verbi, ubi sanctus doctor non loquitur de unionem naturæ ad Deum ut sic, sed ad Verbum Dei, ut fides docet, et supposita fide, quod unitur Verbo Dei, consequentia est formalis: Unitur Verbo Dei, et non in natura; ergo in Persona Verbi.

ARTICULUS II.

Quis sit formalis terminus incarnationis?

I. Non agimus modo de ipsa unionem, seu unionis modo, an sit aliquid de novo productum per actionem incarnationis; de hoc enim sequenti articulo agemus: sed sicut in generatione hominis, licet anima uniat corpori, terminus tamen formalis specificans actionem, non est ipsa unio, seu dependentia de novo facta, sed aliquid substantiale, scilicet humanitas: ita inquirimus in præsentia, præter ipsam unionem, seu dependentiam, aut quid sit de novo productum, quis sit formalis terminus specificans actionem incarnandi: et ex consequenti inquirimus, quid sit terminus a quo, quia semper correspondent inter se terminus a quo, et ad quem.

II. Et est supponendum ex philosophia duplicem esse terminum actionis, scilicet, totalem, et formalem: sicut enim in unaquaque substantia dicitur quo et quod, scilicet, ipsum totum constitutum, et ipsa forma formaliter constituens; sic actio, quæ tendit ad substantiam, respicit ipsum totum ut terminum totalem, seu quod; ipsam formam ut terminum formalem. Sicut dealbatio habet pro termino formali al-

bedinem, pro totali album Aliquando vero coincidunt terminus totalis, et formalis, sicut in creatione, de cuius ratione est quod sit productio totius entis ex non ente, et in transsubstantiatione, in qua non datur formalis conversio, sed totalis.

III. Secundo, est advertendum non esse necesse, quod terminus formalis sit productus per actionem, sed sufficit quod sit unitus; sicut patet in generatione hominis, quæ animam non producit, sed unit; et in resurrectione, in qua præexistens anima rursus unitur corpori. Nec enim formalis terminus amplius requirit, quam quod sit formaliter constituens terminum totalem; unde si ex vi actionis taliter attingatur terminus formalis, quod ex vi illius constituat, et informet totum, habet quod requiritur ut sit terminus formalis; informat autem, et constituit ut unitus, et consequenter sufficit uniri ex vi actionis, ut sit terminus ejus formalis.

IV. His suppositis, cum in hac actione inveniuntur tria, scilicet Verbum, humana natura, et unio de novo inter ipsa extrema facta, communiter conveniunt auctores in assignando totali termino hujus actionis, scilicet quod sit ipse Christus, seu persona ut subsistens in duabus naturis; hoc enim totum resultavit per hanc novam unionem, scilicet Deus homo, seu Verbum caro.

V. Circa terminum vero formalem divisi sunt, nam quidam considerantes hanc actionem ut assumptiva, et personativa est humanitatis, dixerunt formalem terminum ejus esse personalitatem Verbi, ut unitam humanitati, quam sententiam Suarez tribuit Capreolo in III, dist. V, quæst. I. Et in terminis loquendo de actione ut assumptiva traditur a Cajetano hic art. VIII, in fine. Et de ipsa actione incarnationis absolute loquendo asseritur a

magistro Alvarez disp. XIII, quamvis etiam admittat humanitatem esse terminum formalem secundum quid, et minus principalem, quatenus ab humanitate Verbum divinum habet, quod sit homo. Subsistentia autem universaliter est terminus actuans, et complens humanitatem, et consequenter est terminus unionis hypostaticæ, et præterea esse communicatum humanitati, est esse creatum in sententia S. Thomæ: ergo habet pro termino aliquid increatum, quia esse est terminus actionis. Vide loca D. Thomæ in Nazario, et Lorea.

VI. Et hinc ortum habuit secunda sententia aliorum, quod absolute humanitas est terminus formalis incarnationis, attendentes, quod per hanc actionem formaliter Verbum factum est caro, et homo; sicut per dealbationem paries fit albus. Sicut ergo parietem dealbari habet pro formali termino passionis albedinem; sic Verbum incarnari habet pro formali termino passionis carnem, seu humanitatem; et consequenter actio incarnandi habet pro formali termino actionis ipsammet humanitatem, quam unit Verbo. Unde si Verbum assumeret naturam leoninam, illa esset formalis terminus illius actionis; et si lapideam, lapis, sicque consequenter differrent specie istæ actiones secundum differentiam naturarum, quæ assumuntur. Ita sequenter communiter Thomistæ, et legi potest Vazquez hic disp. XIX, cap. II; Lorea disp. XVI; Suarez disp. VIII, sect. II.

VII. Tertia sententia affirmat formalem terminum esse unionem ipsam, quam Suarez tribuit Scoto et Durando, ipsamque simpliciter ut probabiliorem approbat. Et fundatur in hoc, quod terminus formalis actionis debet esse posterior actione, et non præsupponi ad actionem: humanitas autem, et Verbum actio-

ni incarnationis præsupponuntur, solumque id, quod fit per ipsam actionem est unio; hoc autem quod fit per actionem debet esse formalis terminus illius, quia actio est quoddam fieri rei, seu tendentia ad aliquem terminum; ergo ille erit terminus proprie, et formaliter ad quem tendit actio, et in quem terminatur ipsum fieri: hoc autem est quod fit, seu producitur, quod solum est ipsa unio.

VIII. Denique alii volentes hæc omnia conciliari dicunt, huic actioni secundum diversas considerationes assignari diversos terminos formales. Nam ista actio ut est assumptio habet pro termino ad quem personam, quia ad ipsam terminatur assumptio: est enim assumptio quasi ad se sumptio et ly ad se est ad personam. Si autem actio consideretur ut incarnatio, sic terminus formalis est humanitas, quia per incarnationem Verbum factum est homo; et sic humanitas est formalis terminus. Si autem consideretur ut unitiva, sic unio est formalis terminus, quia per unionem Verbum fuit conjunctum carni, et sic unio est forma ad quam terminatur. Ita Lorea hic, et Suarez citati. Quod et antea dixit Cajetanus loco citato, inquiens, quod secundum varias considerationes varie potest assignari terminus.

IX. Nihilominus resolutorie dico: Formalis terminus, simpliciter loquendo illius actionis, est humanitas; unio autem, et persona non sunt termini formales simpliciter, sed quasi connotati et in obliquo attacti. Sumo hanc conclusionem ex D. Thoma hic articulo VIII ad quintum ubi inquit: « Quod assumptio determinat cui facta est copulatio ex parte assumptis, in quantum, assumptio dicitur quasi ad se sumptio: sed incarnatio, et humanatio ex parte assumpti, quod est

caro humana, vel natura. Et ideo assumptio differt ratione, et ab unione, et ab incarnatione, seu humanatione. » Non ergo secundum D. Thomam est hic duplex actio ly assumptio, et ly incarnatio, sed una, et eadem. Quare cum assumptio, et incarnatio, seu unio solum ratione differant, inquit Cajetanus ibidem, quod est eadem actio, et idem terminus, diversimode solum explicatur. Restat ergo discernere in hac actione habente istos respectus, quis sit formalis terminus simpliciter; quid in connotato, et secundum quid.

X. Dico ergo terminum formalem esse humanitatem, connotare vero ut conditionem requisitam unionem; ut extremum, cui fit unio, et ratione cuius dicitur assumptio, personam. Ratio efficax est, quia constitutum totale resultans ex ista actione est Deus homo; ergo ille erit terminus formalis, qui fuerit forma constituens hoc totale constitutum: hoc autem solum est humanitas, non unio, nec persona; ergo. Primum antecedens est certum; tum, quia sic explicat Scriptura hunc terminum, et sic loquitur; non enim dicitur quod caro facta est Verbum, vel homo factus est Deus, sed quod Verbum caro factum est, et Filius Dei factus est homo; tum, quia totum resultans ex hac actione est Christus, seu illud, quod de novo factum est in rerum natura per hanc actionem: est autem factum Verbo caro; ergo Deus homo, seu Verbum caro est totale constitutum resultans ex illa actione.

XI. Secundum antecedens probatur, quia in hac unione Persona divina se habet ut subjectum, seu ut suppositum, cui de novo advenit humana natura, ut in eo subsistat, sicut si homini adveniente pedes, aut manus, quas ante non haberet. Sic enim comparat D. Thomas hanc

unionem infra quæstione xvii, articulo secundo. Non autem humanitas se habet ut subjectum, cui advenit divinitas : et ita dixit S. Thomas opusculo xxx, capite vi contra Græcos et Armenos : « Quod in unione Dei ad animam non trahitur deitas ad humanam naturam, sed humana natura a Deo assumitur. » Ergo respectu hujus constituti resultantis, quod est Deus homo, persona non se potest habere ut forma seu terminus formalis.

XII. Similiter neque unio, quia unio non constituit aliquod totum, nisi ratione formæ unitæ, non autem ratione sui, quia ipsa non est forma, sed applicatio formæ ad subjectum; ergo repugnat dicere, quod unio sit terminus formalis, cum nullo modo sit forma constituens, sed applicatio formæ constituentis ad subjectum, ut resultet totum constitutum.

XIII. Et exemplo res explicatur, in dealbatione enim paries, qui est subjectum, non potest esse terminus formalis illius actionis; nec unio, seu inhærentia albedinis ad parietem, quia non est forma constituens album, sed conditio, seu applicatio albedinis ad subjectum; et licet albedo acquirat esse in subjecto, reddaturque inexistens in ipso subjecto, et subjectum illi unitum, non tamen ipsum subjectum dicitur formalis terminus dealbationis, quia albedinem fieri inexistens, et communicari sibi esse a subjecto, non est id, quo formaliter constituitur album, sed est esse consequens unionem albedinis ad subjectum. Esse autem quod ipsi formæ provenit ex unione ad subjectum, non est id quo aliquid est tale, nec ipsa forma constituens, sed esse est actualitas ultima terminans, atque ita id, quod acquirat forma ex subjecto non est terminus formalis, sed ipsa forma.

XIV. Et similiter si homini advenirent pedes, vel manus, vel materiæ forma substantialis, non est ibi formalis terminus subjectum ipsum, aut esse, quod acquirat de illis partibus, sed ipsæ partes de novo advenientes, vel forma est terminus formalis. Et tamen in actione dealbandi invenimus, quod de novo producit unio, et non per se requiritur produci albedinem, sed etiamsi præexisteret albedo, et de novo uniretur subjecto fieret æque bene dealbatio. Sicut in resurrectione hominis præexistens anima unitur corpori; et in generatione anima quæ creatur unitur ab homine. Et similiter invenimus, quod albedo trahitur, et quasi assumatur ad esse subjecti, ut scilicet inhæreat ei.

XV. Quo loquendi modo utitur S. Thomas opusculo ii, capite cxxi, dicens, quod : « Subjectum in unione accidentis non se habet ut pars, sed ut integrum quoddam, quod est persona, hypostasis, et suppositum; accidens autem trahitur ad personalitatem subjecti, ut sit persona eadem hominis, et albi. » Et tamen ratione hujus tractionis, seu assumptionis nullus dicet, quod subjectum est terminus formalis actionis illius, sed solum forma unita, licet connotare debeat necessario ista actio, et unionem, et applicationem, et subjectum ut terminum, cui fit unio accidentis, et ad quod assumitur; ergo similiter in præsententi debet dici, quod simpliciter terminus formalis actionis incarnandi est humanitas, qua Verbum est homo, licet connotare debeat unionem, et applicationem humanitatis ad Verbum, et personam ut terminum, cui fit unio.

XVI. Ex dictis infero duo. Primum est, terminum a quo in hac actione non esse humanitatem, neque personalitatem propriam hu-

manitatis, sed non esse hominem in Verbo, quod per modum negationis, non privationis explicandum est. Etenim, qui ponunt principalem rationem termini formalis in Persona Verbi quatenus actio est assumptiva, dicunt cum Cajetano humanitatem esse terminum a quo, et Personam divinam terminum ad quem fit assumptio. Alii vero volunt terminum a quo positivum assignare, scilicet illum, qui per actionem assumptivam tollitur, id est, personalitatem creatam. Quod melius appareret in casu, quo Verbum assumeret naturam hominis in proprio supposito existentem, destruendo suppositalitatem propriam, et trahendo illam naturam ad suam : tunc enim manifeste terminus a quo, esset personalitas creata; ergo licet modo positive non destruat, tamen quia illa actio apta nata est destruere illam, dicitur personalitas creata esse terminus a quo, non ut positive destruenda esset, si daretur, et impedita est ne resultaret.

XVII. Nihilominus, quia in omni generatione, formalis terminus a quo est privatio formæ, seu negatio illius a qua tenditur ad ponendam formam, sive destruat positiva aliqua forma ex parte termini a quo, sive non; hoc enim per accidens se habet ad rationem termini a quo; sicut dici solet in primo physicorum, quod sunt tria principia rei naturalis, materia, forma, et privatio, ipsaque privatio tenet se ex parte termini a quo formaliter loquendo; per se enim, et formaliter in generatione ignis est, quod fiat ex non igne; quod autem fiat ex stippa, vel ex ligno, per accidens est. Sic dicimus hic, quod Verbum fieri hominem habet formaliter fieri ex non homine, non quod in ipso Verbo esset privatio, aliqua carentia naturæ humanæ, sed pura negatio.

Quod autem tollatur, seu destruat personalitas humana, vel non tollatur, per accidens est : nam modo non est destructa personalitas, quia nunquam fuit; si vero Deus assumeret naturam hominis antea existentis, destrueret personalitatem creatam ejus.

XVIII. Qui autem dicunt posse assignari terminum a quo positivum, non quod aliquando fuerit, sed quia debitum erat in esse; sicut si crearetur aqua calida, dici potest fieri ex frigida, quia frigus illi erat debitum, nimis violenter loquuntur; non enim relinquitur terminus a quo proprie, si nunquam fuit. Quare formalis terminus a quo est ex non homine fieri hominem, non quidem ex non homine essentialiter, sed ex non homine personaliter, quia Verbum non erat personaliter homo et fit personaliter homo; non tamen natura hominis fit ex Verbo, sicut in generatione hominis ex non homine fit homo. Aliud est in transubstantiatione, quæ quia est totalis conversio termini a quo in terminum ad quem, oportet ex parte remini a quo explicari semper aliquid positivum : dicimus enim quod ex pane fit corpus Christi, non vero ex non corpore fit corpus Christi.

XIX. Secundum quod infero est, esse diversas actiones species illas, quæ terminantur ad diversas naturas assumptas; si enim modo Verbum assumeret naturam lapidis, vel leonis, esset diversa actio specie ab incarnatione, qua factus est homo, quia esset diversus terminus formalis. Sicut in pariete dealbatio, et calefactio, quæ terminantur ad diversas specie qualitates, diversæ actiones sunt; et sicut fieri album, et fieri calidum, differunt specie, sic Verbum fieri hominem, aut fieri lapidem specie differunt. Major difficultas est, an si Pater, vel Spiritus sanctus fieret homo, essent diversæ

actiones specie, quia terminatio fiet ad distinctas Personas.

XX. Videtur tamen ex dictis etiam concludi, quod in nostra sententia substantialiter illæ actiones essent ejusdem speciei; sicut dealbatio in lapide, vel in homine sunt actiones ejusdem speciei, licet subjecta sint distincta specie, quia licet entitative specie differant, in ratione tamen subjecti albedinis univocantur. Ita Pater, et Filius, licet sint distinctæ Personæ relativæ, tamen in ratione personandi alias naturas creatas omnino univocantur, et eadem ratione terminant: cum ergo ex parte assumptium sit eadem virtus, et ratio terminandi alias naturas, solum sumenda est distinctio specifica ex parte naturarum, quas assumunt; et cum sint ejusdem speciei humanitas assumpta a Patre, et a Filio, erunt actiones ejusdem speciei.

AD FUNDAMENTA CONTRARIA RESPONDETUR.

XXI. Ad primum fundamentum primæ sententiæ, ita asserens: Forma, seu id quod habet rationem actus est terminus formalis; sed personalitas Verbi habet rationem actus terminantis humanitatem, et eam complentis; ergo habet rationem termini formalis: respondetur, Distinguo minorem, personalitas Verbi habet rationem actus terminantis, suppositaliter, et personaliter, concedo; rationem actus terminantis formalis, seu constituentis per modum formæ ipsum totum, quod resultat, nego. Jam autem ostendimus, quod in actione non habet rationem termini formalis illa actualitas, quæ ex subjecto sustentante, aut suppositante resultat in forma, seu natura, sed illa actualitas, quæ informat, et constituit per

modum actus primi in esse talis, ut hominem natura humana, album ipsa albedo, etc. Sic autem non ipsa personalitas Verbi, sed natura humana constituit Verbum hominem, et consequenter est formalis terminus actionis incarnativæ.

XXII. Ad id quod additur, quod esse communicatum humanitati est esse increatum, fatemur: cæterum non est hoc esse, quod est terminus formalis alicujus actionis; non enim esse existentia, sed esse essentia, seu naturæ est terminus formalis specificans actionem: existentia enim non specificat, sed ultimo terminat, nec enim dealbatio, verbi gratia, ab existentia, sed ab albedine specificatur, et distinguitur a calefactione, vel alia actione inductiva alterius termini. Et generaliter esse specificans non est esse existentia, sed forma, seu natura, et actus primus, non ultimus in essendo.

XXIII. Sed adhuc objicit Nazarius supra articulo octavo, controversia II, et Lorea ibidem, auctoritatem D. Thomæ; Nazarius quidem, quia D. Thomas hic articulo ad secundum inquit: « Humanam naturam ex tempore advenire Verbo, non quasi assumptam ad unum esse prout est naturæ, sed ad unum esse prout est suppositi (idque comparat resurrectioni) sicut corpus tunc adveniet animæ præexistenti. » Ergo sentit sanctus doctor esse personale Verbi se habere ut terminum hujus actionis, quatenus per illam communicatur humanitati. Similiter in articulo octavo dicit, quod assumptio determinat terminum a quo, et ad quem; dicitur enim assumptio quasi ab alio ad se sumptio; et terminus a quo denotat humanitatem a qua fit assumptio.

XXIV. Respondetur, quod in utroque loco loquitur S. Thomas de termino ad quem in obliquo, et in connotato, non simpliciter et directe;

eo quod illa actio directe non est assumptio, sed directe est incarnatio, seu Verbum fieri hominem; quod stare non potest sine assumptione. Quia ergo assumptio, ut assumptio respicit per modum termini ad quem id ad quod res assumitur, et pro termino a quo non rem assumptam, sed quasi locum inferiorem unde assumitur; inde est quod terminus assumptionis, ut sic consideratæ, est persona.

XXV. Sed hæc assumptio potest dupliciter convenire alicui actioni: uno modo primario, et directe, sicut qui e loco superiori trahit rem aliquam ad se, primo, et per se assumit, seu ascendere facit: alio modo secundario, seu ex consequenti, seu connotato; sicut subjectum, ex eo quod dealbatur trahit albedinem ad suum esse, non tamen primo, et per se assumit, sed primo, et per se facit album; connotat tamen assumptionem. Sic in præsentī incarnatio primo, et per se facit Verbum hominem, et ex consequenti assumit naturam ad esse Verbi. Quare cum sit eadem actio assumptio, et incarnatio sola ratione differens, ut ipse S. Thomas se explicat articulo VIII, solutione ad tertium, oportet quod non assignemus illi duos terminos primarios, et directos, sed unum, et cum non supponatur humanitas, ut ei adveniat divinitas, sed Verbum ut fiat homo, sicut explicat Scriptura, dicimus terminum formalem esse humanam naturam, et sic illam actionem esse incarnationem, et in connotato assumptionem.

XXVI. Ad fundamentum sententiæ Suarez respondetur terminum actionis esse posteriorem actione: humanitatem autem, et Verbum præsupponi ad actionem, distingo; humanitatem ut entitative, transeat; potest enim tempore præcedere humanitas, et postea assumi; informative, nego. Hoc enim fit per incarnatio-

nem, ut humanitas informet Christum, et constituat illud totum, quod resultat. Et quando dicitur, quod id quod fit per actionem solum est unio, distingo; id quod fit ut forma unita, seu ut informans, nego; id quod fit ut applicatio formæ, concedo. Et rursus, hoc quod fit per actionem est terminus formalis, distingo; quod fit ut applicatio formæ, nego; quod fit ut forma constituens, seu informans, concedo; unio autem non fit, nec producit ut forma constituens, sed ut applicatio formæ.

XXVII. Et licet incarnatio ex se loquendo non faciat humanitatem quasi entitative, facit tamen illam ut informantem hominem tantum, et hoc suppositum. Sicut in resurrectione non fit anima entitative, sed fit ut forma constituens. Et si albedo existens poneretur in subjecto, dealbatio non produceret albedinem ut ens, sed ut formam, id est, sub officio informantis; et sic ipsa forma est terminus formalis in istis actionibus, non autem unio, quæ non fit ut forma, sed ut applicatio formæ.

ARTICULUS III.

Utrum unio sit aliquis modus de novo productus ex parte humanitatis; an sola relatio?

I. Fere inter omnes auctores convenit unionem Verbi, et humanitatis esse aliquid reale, ita quod per realem aliquam dependentiam, et immutationem humanitatis respectu Verbi, dicatur ei unita. Sic agnovit S. Thomas supra questione prima, articulo primo ad primum, dum dixit: « Deum per hanc unionem non fuisse mutatum, sed creaturam mutatam fuisse uniendo eam sibi. » Idque confirmat in hac questione